

Affixit lentem, ac filo moderatur: acutos
 Ante oculos pendet lens altera: grandius astrum
 Respondet contra, sinuatum in cornua lumen
 Stringitur, & maculis vultus sordescit opacis.
 Hinc & per montes altos, camposque patentes
 Linea se longo tendit, perque oppida ductu:
 Altera per sacram brevior traducitur ædem,
 Inde ruinosos inter pendentia muros
 Signa jacent dispersa solo, conscriptaque saxa.
Tyr. Hic vir, hic est, Lycida, Non illo doctior alter
 Sydera scrutari, aut mensas describere terras,
 Eruere aut altis veterum monumenta ruinis,
 Arcades a Sylva nomen fecere vocantes.
 Adductos terris falcatae hic Cypridis ignes,
 Et maculas, dubium & lentæ vertiginis orbem
 Exquirat. Qua se ardenti via flectat ab Austro
 In Boream hic campis, hic sacra signat in æde:
 Immissus Titana refert per tenue foramen
 Ex alto radius, mutataque tempora monstrat.
 Ast ibi collapsas, monumentum insigne Neronis,
 Immemor ipse sui (heu nimium!) considerat ædes:
 Ah! ruit, & fractos præceps alliditur artus.
Lyc. Hic vero nivea effulgens in veste Sacerdos
 Quam varias radio signat nigrante figuras!
 Illa refert ovum; hæc longum sinuatur in arcum
 Crure super gemino, geminis abit altera ramis
 Immensū hinc, atque hinc fugiens, & crure quaternoque
 Aversas petit usque plagas; at vertice in alto
 Sese aliæ longis sinuant ambagibus, atque
 In se iterū, atque iterum redeunt, flectuntque, plicantque,
 Et reddunt sparsos per prata nitentia flores:
 Mille notæ, ac tela numeri densantur in ima.
 Alter in hac... *Tyr.* Quo te Lycida, tuus abripit ardor?
 Tempus abit. Tela mihi stat Dubenus in illa,
 Ansoniæ Dubenus honos, & gloria prima
 Arcadiæ. Haud illi Thamesis, non Sequana certet
 Gran-